

aeternitatem atque potentiam, regnisque, principibus, terris, nec non popularibus singulis ac nostro quoque nominatim coetui Musis Cimbri-
cis sacro, ne multa omnibus civibus Regio
sceptro *a se* commissis securitatem, concordiam,
pacem —

§. 2.

Commentationis introitus.

Nuncupatis nunc votis solemnibus in pia
beneficiorum, quae omnes agnoscimus, recor-
datione; et cum, ut audivistis, iuramenti reli-
gione in ipsis hisce muneris mei auspiciis fidem
iam dederim iuratam, me sedulo ac pro virili
esse curaturum, ut durante magistratu meo
Regi, legibus ac magistratui Academico potesta-
tis *Regiae* vicario inconcussa stet autoritas et
perpetuum praestetur obsequium; ut utilitati
publicae diligentissime, quam fieri potest, con-
sulatur et prospiciatur; ut denique nihil in coetu
nostro vel fiat vel omittatur, quod iuri, aequi-
tati legitimae, bonis denique moribus repugnet,
quodque conscientiae, honestatis rationibus non
respondeat, consilio huius diei atque caeremo-
niae omnino iam satisfactum videri potest nisi
more ac lege Academiarum, ita quoque Nostrae,